Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

errores ipsorum. Hic liber sic incipit.

SUMMUM BONUM. QUO SUPERIUS NON EST. DEUS EST. AC PER HOC INCOMMUTABILE BONUM EST. ideo vere eternum et vere inmortale. Cetera omnia bona non nisi ab illo sunt, sed non de illo. De illo enim quod de illo est, hoc est quod ipse est; ab illo autem que facta sunt, non sunt quod ipse. Ac per hoc si solus ipse incommutabilis, omnia que fecit quia ex nichilo fecit mutabilia sunt. Tam enim omnipotens est, ut possit et de nichilo, id est ex eo quod omnino non est, bona facere, et magna et parva, et celestia et terrena, et spiritalia et corporalia. Quia vero et iustus est, ei quem de se genuit, ea que de nichilo fecit non equavit. Quia ergo omnia bona sive magna sive parva per quoslibet rerum gradus non possunt esse nisi a deo, omnis autem natura in quantum natura est bonum est, omnis natura non potest esse nisi a summo et vero deo. Quia omnia et non summa bona sed propinqua summo bono, et rursus omnia et novissima bona que longe sunt a summo bono, non possunt esse nisi ab ipso summo bono. Omnis ergo spiritus et mutabilis et omne corpus a deo; et hoc est omnis facta natura. Omnis quippe natura aut spiritus est aut corpus. Spiritus incommutabilis deus est; spiritus mutabilis facta natura est, sed corpore melior. Corpus autem spiritus non est, nisi cum ventus, quia nobis invisibilis est, et tamen vis eius non parva sentitur, aliquo modo spiritus dicitur. Propter eos autem qui cum intelligere non possunt omnem naturam, id est omnem spiritum et omne corpus naturaliter bonum esse, moventur spiritus iniquitate et corporis mortalitate, et ob hoc aliam naturam maligni spiritus et mortalis corporis quam deus non fecerit conantur inducere, sic arbitramur ad eorum intellectum quod dicimus posse perduci. Fatentur enim omne bonum non esse posse nisi a summo et vero deo. Quod et verum est, et ad eos corrigendos si velint advertere sufficit. Nos enim catholici christiani deum colimus, a quo omnia bona sunt seu magna seu parva; a quo est omnis modus sive magnus sive parvus; a quo omnis species sive magna sive parva; a quo omnis ordo sive